

Acolythro receptam, ampullam vero aquæ ipse Episcopo ostendit, et petit, ut benedicat, dicens: *Benedicite, Reverendissime Pater*, ex qua benedicta infundit paululum in calicem.

6. Post oblationem hostiæ et vini factam, accipit de manu Diaconi patenam, quam veli prædicti extremitate, adjuvante Cæremoniario, contegit, eamque elevatam sustinet usque ad finem *Pater noster, etc.*, stans retro in loco consueto et conveniente; nec movet se, nisi cum ad elevationem SS. Sacramenti genuflectit: quo elevato, statim surgit; et cum celebrans dicit in Oratione Dominica *Et dimitte nobis, etc.*, facta debita genuflexione, accedit ad altare in cornu Epistolæ, dictamque patenam Diacono offert, qui eam, a Cæremoniario, vel a seipso velo discoopertam, accipit: tunc ipse Subdiaconus, deposito velo in manibus Cæremoniarii, vel Acolythi, redit ad locum suum, et supplet a dextera Episcopi pro Diacono, dum ille inservit loco Presbyteri assistentis a sinistra, discooperiendo calicem, et alia faciendo, quæ erunt necessaria et opportuna, donec Episcopus Communionem sumpserit; et eo communicato, ipse post Diaconum accipit Communionem et pacem ab eodem Episcopo, *ut in proxime præcedenti Cap. § vi. de Diacono dictum est.* Mox imponit vinum in calicem pro purificatione, nisi prius redierit ad locum suum Presbyter assistens, quia tunc hoc facit Diaconus, reversus ad dexteram Episcopi. Demum accepta per Episcopum purificatione, dum lavat manus, ipse tergit calicem, plicat corporalia, illaque simul cum palla, purificatorio et bursa ad abacum reportat cum debitis reverentiis, mox redit ad locum suum post Episcopum, et ibi stat usque ad finem Missæ, et, ea finita, adjuvat Diaconum in exuendo Episcopum.

7. Si celebrabitur pro Defunctis, alio ordine et ritu multa faciet, ut in *Cap. xi. Lib. ii.* Idem dicitur quoad habitum, et alia quædam in Missis, quæ celebrantur in Dominicis Adventus et Quadragesimæ, et in aliquibus feriis. In

Collegiatis vero, et Episcopo absente, ipse servit loco assistentis in danda pace, ac etiam Episcopo præsentem, si celebratur Missa ab aliquo Canonico, vel alio qui non habeat Presbyterum assistentem.

CAPUT XI.

Episcopo, Vesperas solemniter cantanti, præter Presbyterum et duos antiquiores Diaconos, septem Acolythi serviant. Dum Missam solemniter celebrat, alii sex ministri addantur. Munia ministri de libro, de candela, de baculo, de mitra, de thuribulo, de candelabris, de gremiali, de ampullis et de abaco explicantur. Si celebrans est Cardinalis, vel Archiepiscopus, aut Episcopus valde insignis, convenit, ut Magistratus, vel proceres civitatis bacilia et aquam opportune ministrent. Magistratus et nobiliores sedeant in loco, eis assignato extra Presbyterium.

1. Ut Episcopales functiones, præsertim in Ecclesia, et in divinis Officiis commodius, digniusque exerceri valeant, plures necessarii sunt ministri, licet pauciores in Vesperis sufficiant, quam in Missis. Cum ergo Episcopus Vesperas solemniter cantabit, ultra Presbyterum assistentem, duosque antiquiores Diaconos assistentes, qui cæteris digniores sint, de quorum officio supra dictum est, ubi commode fieri poterit, septem saltem alios ministros habere eum convenit, aspectu, habitu et tonsura decentes, ac cottis mundis indutos. Primus erit, qui de libro; secundus, qui de candela servient; tertius, de baculo pastorali; quartus, de mitra (qui quatuor, si adsit consuetudo, induantur etiam pluvialibus); quintus, de thuribulo et navicula; sextus et septimus, de candelabris et cereis.

2. Cum vero Missam solemniter celebrat, ultra prædictos, ac Diaconum et Subdiaconum, de quorum officiis etiam

supra dictum est, habebit alios sex, quorum duo eodem habitu clericali, et cottis induti servient, alter de gremiali, alter de ampullis. Reliqui quatuor poterunt esse cubicularii, sive familiares Episcopi, clericali habitu, sed sine cottis stantes apud abacum; et hi quidem ministri omnes, si haberi non poterunt ex gremio Ecclesiæ vel de familiaribus ipsius Episcopi, poterunt jussu Episcopi convocari ex Parochiis et Ecclesiis civitatis; iidemque omnes, præter jam dictos quatuor familiares, servient etiam Episcopo, cum induitur et exiit sacris paramentis, tam in Vesperis, quam in Missis, dicta paramenta portando et reportando; ex quibus qui de baculo pastoralis, de mitra, de thuribulo, de candelabris, de ampullis vini et aquæ serviunt, ubi commode fieri potest, sint in ordine Acolythatus, ut disciplinæ dignitas, quoad ejus fieri possit, conservetur.

3. Igitur primi ministri officium erit, cum Episcopus celebrabit Vesperas, aut Missas solemniter, curare, ut signacula in libro, ex quo Episcopus Antiphonas, aut Hymnum est intonaturus, aut Orationem cantaturus, sint recte suo loco disposita, ne cum dicendum aliquid erit, indecenter huc illuc folia vertere cogatur; librum ipsum custodiet, et reponet in loco decenti, quem, cum opus erit illum Episcopo offerre, sustinebit ambabus manibus ab inferiori parte libri positus, altius, vel demissius pro statura celebrantis, nec se loco movebit, nec unquam genuflectet, etiamsi ipsemet celebrans et alii omnes genuflecterent, cum, ut dictum est *Cap. præcedenti* de Subdiacono, instar legilis sit; nisi cum fortasse ob commoditatem Episcopi legentis, eum genuflectere magis expediret; uti cum librum tenebit pro Psalmis a Pontifice legendis, antequam paramentis Missalibus induatur. Locus autem ejus erit prope altare. Cum vero Presbyter assistens paratus, librum sustinebit ante Episcopum in cantu legentem, ipse a sinistris Episcopi stans, adjuvabit in sustentatione libri ipsum assistentem.

4. Alter in eodem habitu de candela, serviet etiam ad altare.

5. Tertius minister eodem habitu, sed pluviali indutus, juxta locorum et Ecclesiarum consuetudinem, ipsius baculi custodiendi, portandique ante Episcopum, quoties opus erit, curam habebit, quem manu dextera cottæ extremitate cooperta tenebit, sed nudum, nulloque panniculo appenso, illum Episcopo, cum opus erit, offeret. Quo autem tempore, et in quibus actibus Episcopus baculo pastoralis uti debeat, inferius in suo capite describetur.

6. Quartum ministrum de mitra servientem oportet, velum, seu mappam sericam oblongam a collo pendentem gerere, qua utitur ad mitram sustinendam, nisi, ut supra, sit pluviali indutus, ne illam nudis manibus tangat: caute autem advertat, ut cum ea Episcopo imponenda, auferendave erit, immediate lateri Diaconi assistentis illam imposituri, vel ablaturi adhæreat, mitram offerens, vel recipiens. In Vesperis, incepto primo Psalmo, deposita mitra pretiosa super altari in cornu Epistolæ, offert simplicem; inceptaque Antiphona Cantici *Magnificat anima mea, etc.*, offert pretiosam, et simplicem super altari in eadem parte locabit. In Missis, dicto per Episcopum celebrantem, seu non celebrantem, Hymno Angelico, adsit cum mitra simplici, vel auriphrygiata, imponenda Episcopo sedenti, ipsa pretiosa super altari deposita. Ut plurimum enim solent Episcopi in Missa uti pretiosa usque ad dictum Hymnum Angelicum, postmodum simplici, aut auriphrygiata, usque ad finem Symboli; tum lecto Offertorio, reassumere pretiosam, eamque tenere usque ad finem Missæ, suo tempore. Cum prædictus minister mitram tenet, habeat vittas, seu infulas illarum versus seipsum, et cum illas deponit, sive super altari, sive super mensa, aut abaco, vittæ exterius pendeant.

7. Quintus minister Acolythus thuribulum et naviculam incensi ministraturus, debet aliquanto cæteris robustior eligi, quo pondus illorum sustentare possit; eaque debet elevatis æqualiter manibus tenere; videlicet, thuribulum dextera, pollice in anulum majorem immisso, medio vero

ejusdem manus digito minorem anulum catenulæ elevanti, coopertorium thuribuli appositum reget et sustinebit; sinistra manu pedem naviculæ cum incenso et cochleari caute gestabit, cottam super brachia prius reflectens, ne forte contingat illam cum thuribulo, aut navicula implicari, aut comburi. Quo autem loco et ordine incedere, stare, vel genuflectere cum aliis ministris, ad Evangelium euntibus et redeuntibus debeat, et de aliis, quæ ad suum officium spectant, suo tempore a Cæremoniariis docendus erit.

8. Acolythi duo ceroferarii debent et ipsi robusti, et in statura, quantum fieri potest, æquales eligi, ut lumina æqualiter teneant et deferant; cumque sumpturi sunt candelabra, accipient quidem manu dextera, ita ut, qui a parte dextera incedit, ponat manum sinistram ad pedem candelabri, dexteram vero ad medium candelabri globum, et qui incedit a parte sinistra, ponat dexteram ad pedem, sinistram ad eundem globum: cumque reverentias erunt facturi, illas æqualiter, et eodem tempore faciant: ac denique eundo, stando, ac redeundo in omnibus actibus inter seipsos, et cum aliis ministris se conforment, prout per Cæremoniarium admonebuntur. Quod si, dum cantatur Evangelium, genuflectendum sit, ac propterea omnes genuflectant, ipsi stabunt simul cum Subdiacono librum tenente, ac si immobiles essent.

9. Duo præterea alii, sed in Missa tantum, adhibentur ministri, quorum unus de gremiali, alter vero, qui saltem sit Acolythus, de ampullis serviat; et qui gremiale ministrat, intentus esse debet, ut cum celebrans Episcopus surgit, antequam mitra ei auferatur, ipsum gremiale per assistentem a sinistris, de gremio Episcopi ablatum, reverenter accipiat, illudque complicatum ante pectus ambabus manibus teneat; et cum opus erit, alteri assistenti a dextris porrigat, reponendum in gremio Episcopi sedentis; ac demum post lotionem manuum Episcopi, lecto Offertorio, illud super abaco reponet, cum eo amplius utendum non sit.

10. Acolythus autem, qui de ampullis servit, post lectum Offertorium, curam habebit portandi ampullas, sive urceolos vini et aquæ, super aliquo parvo bacili pariter dispositos, sequens immediate Subdiaconum, calicem et patenam ad altare portantem; easdemque ampullas opportune ipsi Subdiacono porriget; et vino et aqua ex illis in calicem immissis, eas ad abacum reportabit: et demum easdem ad altare post Communionem, iterum pro purificatione afferet, et pariter ad abacum reportabit.

11. Quatuor ministri familiares, de quibus supra mentio habita est, serviunt ad lotionem manuum Episcopi, incipiendo a juniore, seu minus digno, unusquisque per ordinem vice sua: quater enim Episcopus in Missa solemniter lavat manus; primo, antequam capiat paramenta; secundo, statim post lectum Offertorium; tertio, post incensationem oblatorum; quarto et ultimo, post Communionem.

12. Si celebrans esset S. R. E. Cardinalis, vel Archiepiscopus, aut Episcopus valde insignis, possent ad hujusmodi ministerium ablutionis manuum ipsius celebrantis invitari aliqui ex Magistratu, vel proceribus, et nobilibus viris illius civitatis, qui velo serico circum spatulam extenso, duas argenteas lances, seu fontes, si commodum erit, vel bacile et buccale, cum aqua odorifera, extremitate ejusdem veli coopertos, suo tempore ministrent, præeunte clavigero, seu mazziero, cum clava argentea, si est Cardinalis, quo casu convenit etiam prægustationem dictæ aquæ fieri apud abacum a ministris, vel scutiferis, illam ipsi nobili exhibentibus, omnesque prædicti, sive ex familiaribus Episcopi, sive ex nobilibus civitatis sint, eundo et redeundo genuflectunt usque ad terram ante altare, ante Legatum, si adsit, et ante Episcopum; sed præsentem Legato Cardinali, Cardinali non Legato, vel Metropolitano, non ita profunde ante Episcopum genuflectant. Eorum locus, si fuerint ex familiaribus Episcopi, erit apud abacum, ubi stabunt inter mensam et murum, nisi abacus ipse adhæreat parieti, capite semper detecto, et versa facie ad Episcopum; si ex Magi-

stratu, vel ex nobilioribus civitatis, sedebunt in loco pro ipsis deputato extra Presbyterium; unde suo tempore per Cæremoniarium vocabuntur, et associabuntur euntes et redeuntes. Iidem ministri adhibentur, si Episcopus celebrans non sit proprius illius civitatis, perinde, ac si in propria Ecclesia celebraret, excepto Acolytha de baculo pastorali, nisi hujus usum ei concederet loci Episcopus. Dicti omnes ministri necessarii sunt etiam in Missis, non per Episcopum celebratis, in Ecclesiis Collegiatis, præter illos, qui ministrant mitram, baculum pastorem et gremiale, quæ sunt Episcopalis dignitatis propria. Familiares autem minime sunt necessarii, cum nec abacus, aut mensa erigatur, sed ad ablutionem manuum celebrantis post Offertorium serviet Acolythus.

CAPUT XII.

Ornatus Ecclesiæ in diebus festis et solemnioribus splendidior esse debet, quam in aliis. Valvæ, porticus et parietes Ecclesiæ, sedes Episcopi et subsellia, quibus ornamentis instrui debeant. Apparatus altarium. Ubi, et quo ordine collocanda sint paramenta Missalia pro Episcopo. Quid observandum circa ornatum Ecclesiæ, Episcopo non celebrante, et in Collegiatis Ecclesiis.

1. Quia regulariter in Ecclesia solemnia sacra peraguntur, consentaneum est, ut de ejus ornatu, ac de Officiis et sacrificiis, quæ ibidem fiunt, sermo nunc habeatur. Igitur habenda est ratio, in iis ordinandis, temporis et loci, ac personarum. Decet enim, ut in diebus festis splendidior appareat, quam in aliis non festivis, eoque magis, quo ipsi dies festivi erunt solemniores. Sic major etiam cura adhibenda erit in ornatu Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiatae, quæ et numerosum clerum habeat, et supellectilem amplectam, quæve congruenter situata, et in suis partibus apte distincta, commodiorem ornandi præbeat facultatem.

2. Personarum etiam, quæ ad Ecclesias in celebritatibus conveniunt, et divinis Officiis præsent, aut intersunt, dignitas, prout major, vel minor erit, majorem, minoremve apparatus exposcit.

3. Si igitur festivitas erit præcipua, et de solemnioribus illius Ecclesiæ, primum a parte exteriori ornandæ erunt valvæ ipsius floribus, ramis et frondibus virentibus, bracteolis, aut fasciis diversi coloris, appensis, vel colligatis, quo splendidius pro locorum consuetudine, ac temporum qualitate fieri poterit, supra vero portæ superliminare imago Sancti, vel Sanctorum, quorum dies festus agitur, pariter ornata, et sub illis insignia Summi Pontificis, Legati, Cardinalium, aut Nuntii Apostolici, Episcopi, Reipublicæ, Principis, aut civitatis, pro libito ponentur, servando in eorum positione ordinem dignitatum; inferioris vero ordinis hominum, maxime laicorum, insignia non sunt apponenda.

4. Si Ecclesia habeat porticum, congruum erit, etiam illam pannis aliis pulchris ex serico, sive ex corio, ex aliave honesta materia confectis, seu elaboratis, prout haberi poterunt, exornari; in quibus tamen picturæ in-textæ, seu pictæ, non sint profanæ, vel indecentes; quod et in aliis pannis, in apparatu interiori et exteriori Ecclesiæ observandum erit, et maxime ut non ponantur ibidem ullæ effigies, nisi Sanctorum, vel Summorum Pontificum.

5. Intus quoque, si fieri poterit, parietes Ecclesiæ similiter aulæis, tribunæ vero holosericeis, aut nobilioribus cortinis, coloris cæterorum paramentorum, pro festi qualitate contegantur.

6. In primis autem sedes Episcopalis aliquanto etiam pulchrioribus sericis ornetur, ejusdem coloris, festivitati congruentis. Similiter et sedes Legati Apostolici, aut alterius Cardinalis, qui forte sacris Officiis interesse debeat, ornamentis condecensibus præparabitur.

7. Subsellia quoque pro Prælati, Canonicis, Magistra-

tibus, aliisque Magnatibus, nobilibusque laicis, pro Ecclesiarum, locorumque consuetudine commoditateque ornari decet.

8. Cum Episcopus est venturus ad Ecclesiam, prius præparandum est faldistorium, seu genuflexorium accommodatum ad genuflectendum ante altare Sanctissimi Sacramenti, et ante majus, panno viridi, seu violaceo, pro qualitate temporum coopertum; sed si Episcopus erit Cardinalis, serico, vel panno rubei, seu violacei coloris, prout erunt vestes ipsius Cardinalis, pro temporum diversitate; appositis pulvinaribus superius et inferius, super quæ Episcopus genuflexus orabit. Aliud simile, ante altare, seu alium locum, ubi est SS. Sacramentum: quod diversum esse solet ab altari majori, et ab eo, in quo Episcopus, vel alius est Missam solemnem celebraturus. Nam licet sacrosancto Domini nostri Jesu Christi Corpori, omnium Sacramentorum fonti, præcellentissimus ac nobilissimus omnium locus in Ecclesia conveniat, neque humanis viribus tantum illud venerari et colere unquam valeamus, quantum decet, tenemurque; tamen valde opportunum est, ut illud non collocetur in majori, vel in alio altari, in quo Episcopus, vel alius solemniter est Missam, seu Vesperas celebraturus; sed in alio sacello, vel loco ornatissimo, cum omni decentia et reverentia ponatur. Quod si in altari majori, vel alio, in quo celebrandum erit, collocatum reperitur, ab eo altari in aliud omnino transferendum est, ne propterea ritus et ordo cæremoniarum, qui in hujusmodi Missis et Officiis servandus est, turbetur.

9. Quod si aliquando contingeret, coram Episcopo, vel per ipsum Episcopum celebrari, existente SS. Sacramento super altari, quod feria quinta in Cœna Domini, et feria sexta in Parasceve, et in Missa, quæ celebratur in festo SS. Corporis Christi, vel cum exponitur oratio quadraginta horarum, ante processionem evenire solet; tunc omnes genuflexiones et reverentiæ ad unguem observari debent; et Episcopus nunquam sedere, sed stare sine mitra, prout

suis locis declaratur, et ideo non congruum, sed maxime decens esset, ut in altari, ubi Sanctissimum Sacramentum situm est, Missæ non celebrarentur, quod antiquitus observatum fuisse videmus; aut saltem celebrans in eo, sive solemnes, sive planas Missas, reverentias et genuflexiones prædictas omnino observare debet. Ante SS. Eucharistiam Episcopus genuflectens, prius in plana terra, deinde super faldistorio, vel genuflexorio ibidem præparato orabit, priusquam ad altare majus se conferat; et surgens iterum genuflectet, ut prius. Ante altare majus caput cruci profunde inclinabit, postea genuflectet et orabit; demum surgens, iterum caput, ut prius, inclinabit.

10. Faldistorium quoque, si eo utendum erit pro sessione Episcopi celebrantis, parum distans ab infimo gradu altaris, a latere Epistolæ collocandum est, ita ut Episcopus celebrans, in eo sedens, habeat ad dexteram suam altare, respiciens eandem partem, quam ipsa anterior facies altaris respicit, sive illa versa sit ad tribunam, sive ad reliquum corpus Ecclesiæ, et populum, secundum varios altarium situs: quod quidem faldistorium coopertum sit undique ad terram serico ejusdem coloris, cujus erunt cætera paramenta, et sub dicto serico tegumento aptetur pulvinus. Regulariter autem faldistorium hujusmodi ponitur in plano, seu pavimento Presbyterii, quod totum usque ad infimum gradum altaris convenienter deberet pannis viridibus contegi.

11. Sed si altare haberet plures gradus, ita ut faldistorium in pavimento positum remaneret nimis depressum, posset ei supponi aliquod suggestum, seu tabulatum æqualis altitudinis a terra cum infimo gradu altaris, si super eo sessurus sit proprius Episcopus celebrans, qui tamen regulariter non in faldistorio, sed in propria Episcopali sede stare et sedere debet. Ipsum vero altare majus in festivitatibus solemnioribus, aut Episcopo celebraturo, quo splendidius poterit, pro temporum tamen varietate et exigentia, ornabitur: quod si a pariete disjunctum et separatum sit,

apponentur, tam a parte anteriori, quam posteriori illius, pallia aurea, vel argentea, aut serica, auro perpulchre contexta coloris festivitati congruentis, eaque sectis quadratisque lignis munita, quæ telaria vocant, ne rugosa, aut sinuosa, sed extensa et explicata decentius conspiciantur. Tum in superna linea mappæ mundæ tres saltem explicentur, quæ totam altaris planitiem et latera contegant. Nullæ tamen coronides lignæ circa altaris angulos ducantur, sed earum loco apponi poterunt fasciæ, ex auro, vel serico elaboratæ, ac variegatæ, quibus ipsa altaris facies apte redimita ornatiorque appareat. Supra vero in planitie altaris adsint candelabra sex argentea, si haberi possunt; sin minus ex aurichalco, aut cupro aurato nobilior fabricata, et aliquanto altiora, spectabilioraque his, quæ cæteris diebus non festivis apponi solent, et super illis cerei albi, in quorum medio locabitur crux ex eodem metallo, et opere præalta, ita ut pes crucis æquet altitudinem vicinorum candelabrorum, et crux ipsa tota candelabris superemineat cum imagine SS. Crucifixi, versa ad interiorem altaris faciem. Ipsa candelabra non sint omnino inter se æqualia, sed paulatim, quasi per gradus ab utroque altaris latere surgentia, ita ut ex eis altiora sint immediate hinc inde a lateribus crucis posita.

12. Celebrante vero Episcopo, candelabra septem super altari ponantur, quo casu crux non in medio illorum, sed ante altius candelabrum in medio cereorum positum locabitur, a cujus lateribus, si haberentur aliquæ Reliquiæ, aut tabernacula cum Sanctorum Reliquiis, vel imagines argenteæ, seu ex alia materia, staturæ competentis, congrue exponi possent; quæ quidem sacræ Reliquiæ et imagines, cum sex tantum candelabra super altari erunt, disponi poterunt alternatim inter ipsa candelabra; dummodo ipsa altaris dispositio et longitudo id patiatur; sed et vascula cum flosculis, frondibusque odoriferis seu serico contextis, studiose ornata adhiberi poterunt.

13. Quod si altare parieti adhæreat, applicari poterit ipsi

parieti supra altare pannus aliquis cæteris nobilior et speciosior, ubi intextæ sint Domini nostri Jesu Christi, aut gloriosæ Virginis, vel Sanctorum imagines, nisi jam in ipso pariete essent depictæ et decenter ornatæ: desuper vero in alto appendatur umbraculum, quod baldachinum vocant, formæ quadratæ, cooperiens altare, et ipsius altaris scabellum, coloris cæterorum paramentorum. Quod baldachinum etiam supra statuendum erit, si altare sit a pariete sejunctum; nec supra habeat aliquod ciborium ex lapide, aut ex marmore confectum.

14. Si autem adsit tale ciborium, non est opus umbraculo, sed ipsum ciborium floribus, frondibusque exornari poterit.

15. Cum Episcopus erit celebraturus Missam solemnem, ponentur omnia paramenta Pontificalia in medio altaris ordine retrogrado, videlicet, annulus inclusus in aliqua capsula seorsum ab aliis, planeta, chirothecæ, dalmatica, tunicella, stola, crux pectoralis, cingulum, alba et amictus; manipulus vero ad partem ibidem ponetur. Sed in Ecclesiis, ubi esset secretarium, sive locus, ubi Episcopus paretur, paramenta prædicta possent ibi præparari, non autem super altari, ut suo loco dicitur. Libri vero, Missalis, Evangeliorum, Epistolarum, tecti serico ejusdem coloris, quo cætera paramenta, cum pulvino ex eodem serico, vel parvo legili argenteo aut ligneo, affabre tamen elaborato, ponuntur super credentia in cornu Epistolæ.

16. Gradus omnes altaris inferiores cooperiantur aliquo amplo et pulchro tapete, ut, si fieri potest, sint magis conspicui et ornati, quam reliqua pars Presbyterii, quæ pannis viridibus contegitur. Si vero tale tapete amplum haberi non posset, saltem scabellum, seu suppedaneum, quod est proximum altari, sit tapete aliquo coopertum; similiter et locus, qui in plerisque Ecclesiis sub altari majori esse solet, ubi SS. Martyrum corpora requiescunt, qui Martyrium, seu Confessio appellatur, decet floribus, fron-

dibusque, omnique ornamento decorari. Cætera altaria per Ecclesiam, pariter palliis concoloribus decentibusque ornentur absque coronide, et cum fascia, ut supra de majori dictum est; et habeant quælibet duo saltem candelabra cum cereis, et in medio crucem cum imagine Crucifixi argenteam, vel ex aliquo metallo, aut cupro aurato: scabella eorum, si fieri possit, tapetibus, vel saltem pannis cooperiantur. Altare vero, vel locus, ubi est repositum SS. Sacramentum, præ cæteris sumptuosius ac nitidius exornandum est.

17. Lampades quoque ardentes numero impari in Ecclesiis adsint, tum ad cultum et ornatum, tum ad mysticum sensum, ut et multa ex superius narratis pertinent. Hæ vero in primis adhibendæ sunt ante altare, vel locum, ubi asservatur SS. Sacramentum, et ante altare majus, quibus in locis lampadarios pensiles esse decet, plures sustinentes lampades, ex quibus, qui ante altare majus erit, tres ad minus, qui ante Sacramentum, saltem quinque lucernas habeat. Ante vero reliqua singula altaria singulæ possunt lampades appendi; quæ quidem in præcipuis festis, saltem dum Vesperæ et Missa solemnibus decantantur, continue ardeant. Ante SS. Sacramentum, si non omnes, ad minus tres accensæ tota die adsint. Sed et ante locum et fenestellam Confessionis supradictæ, ubi consuetudo est lampadem ardere, servanda est. Possunt etiam in altari majori, vel aliis, quæ habent ciboria, circumcirca lampades appendi.

18. Ambones, ubi Epistolæ et Evangelia decantari solent, si qui erunt, necnon et pulpitum, ubi sermo, vel concio haberi solet, consentaneum est, pannis sericis ejusdem coloris, cujus sunt cætera paramenta, exornari, ita tamen, ut locus Evangelii pulchrius ornatur.

19. Restat, ut de mensa, seu abaco, quam Credentiam vocant, pauca subjiciamus. Ea vero in Missis tantum solemnibus præparari solet a latere Epistolæ in plano Presbyterii, si loci dispositio patiatur, atque a pariete parumper disjun-

cta; ita ut inter illam et parietem stare possint familiares Episcopi, ad manuum lotionem destinati, nisi propter loci angustiam id fieri non possit; ut supra Cap. xi. §. xii. quo casu fiet, prout melius poterit. Ejus mensura regulariter erit palmorum octo in longitudine, in latitudine quatuor, vel circa, in altitudine quinque, vel modicum ultra; lineoque mantili mundo super strato, usque ad terram circumcirca pendenti contegetur. Super ea ponentur duo candelabra cum cereis albis, altitudinis et formæ, prout duo minora ex his, quæ super altari posita sunt, et in ipsius medio calix cum patena, palla, purificatorio, et bursa, corporalia continens: libri item Missales, et legile, atque ibi proxime capsula cum hostiis, et pelvicula cum ampullis vini et aquæ, eaque omnia cooperientur velo pulchriori, quo uti debet Subdiaconus, cum patenam tenebit. Super eadem mensa apponentur mitra pretiosa, vel auriphrygiata, et altera simplex cum bireto parvo, quod mitræ supponitur, necnon velum pro Capellano serviente de mitra, pelvis pro abluendis manibus, et urceus argenteus cum aqua pro manuum lotionem, quatuor mappulæ ad tergendas manus, thuribulum cum navicula, et in ea cochlear et thus, cum quo possint misceri aromata bene olentia, dum tamen thuris quantitas superet; gremiale, caligæ et sandalia, liber pro Psalmis legendis, ac denique omnia, quæ usui esse possunt celebranti, præter paramenta Missalia, quæ super altari, vel in secretario ponuntur, ut supra dictum fuit, et baculum pastorem, qui manu ministri, ad id constituti, sustinebitur.

20. Vasa quoque argentea ampla et magnifica, si haberentur, ad ornatum adhiberi possent, maxime celebrante aliquo S. R. E. Cardinali: sed neque crux, neque Sanctorum imagines in ea ponendæ sunt. Prope ipsam mensam in loco opportuno, et ab oculis populi, quantum fieri potest, remoto, vel in sacristia, erit vas cum carbonibus accensis, ac forcipibus pro usu thuribuli. Funalia pariter cerea pro elevatione SS. Sacramenti ad minus quatuor, ad summum

octo, item alia sex, vel septem ad summum funalia apponi possent in alto loco, in frontispicio tribunæ; maxime si celebraret aliquis S. R. E. Cardinalis, et locus esset ad id aptus.

21. Hæc, ut diximus, observanda erunt in solemnioribus Ecclesiæ festivitibus, ac celebrante Episcopo; plus autem, vel minus, pro celebrantis qualitate et gradu. Non celebrante Episcopo, sed præsentem, simplici ornatu erit agendum.

22. In Ecclesiis Collegiatis, ubi Episcopus, nec celebrans, nec præsens est, eadem circa ornatum Ecclesiæ et altaris conveniunt, exceptis his, quæ Episcoporum sunt propria. Paramenta vero in sacristia parari convenit. Mensa multo brevior et demissior erit adhibenda, cum pauca sint in ea reponenda, nempe pelvicula cum urceolis vini et aquæ, calix cum bursa et corporalibus, et quandoque quædam alia pro celebrationis necessitate et usu; ideoque satis erit scamnum oblongum, coopertum aliquo tapete, aut panno, aptari a latere Epistolæ, in quo sedeat Sacerdos celebrans cum Diacono et Subdiacono.

23. In solemnitatibus majoribus, quæ ubique per annum occurrunt, videlicet in Nativitate Domini, Paschate et Pentecoste, etc., eadem erunt servanda, nisi quod valvæ, porticus et parietes Ecclesiæ non ornantur regulariter; sed, si in aliquibus Ecclesiis consuetudo esset tunc quoque ornandi, retinenda hæc erit, cum circa majorem ornatum semper sit laudabilis. Id tamen in hujusmodi festis non omittatur, ut saltem tribuna, altare majus, et alia minora, sedes Episcopalis, abacus et amboes eadem forma ornentur.

24. Dominicis diebus, et aliis festis quibus populi ab opere cessant, in ornatu altarium, sedis Episcopalis, sedium Canonicorum et aliorum, eadem, sed aliquanto parcius fieri debent, videlicet, ut paramenta non sint ita sumptuosa, coloris tamen tempori congruentis, et omnino pretiosiora illis, quæ festis duplicibus minoribus, semiduplicibus

cibus et octavis, feriis Quadragesimæ, Adventus, quatuor Temporum et Vigiliarum adhibentur: quibus quidem diebus sufficient in altari quatuor candelæ in candelabris; sed in festis simplicibus et feriis per annum duæ. Eadem respectively etiam in Collegiatis observantur.

25. Erit autem valde opportunum, ubi fieri possit, præsertim in Ecclesiis majoribus et opulentioribus, si constituatur minister aliquis, cui curæ sit, ut Ecclesia continuo in omni ejus parte munda sit et expolita, tam in pavimento, quam in parietibus, columnis, fornicibus et laquearibus, nec per eam discurrere permittat mendicos, canes, aut alia animalia, divina Officia perturbantia. Quædam vero alia, quæ in quibusdam solemnitatibus, aut Officiis specialius requiruntur, suis locis dicentur.

CAPUT XIII.

Sedes Episcopi in qua parte collocanda. Tribus gradibus ad eam ascenditur. Ejus forma et ornatus. Si chorus sit in medio Ecclesiæ, Episcopus assistit ibi in sede pro ipso ordinata. Cardinalis Legatus, vel non Legatus, assistit in sede Episcopali, et Episcopus sedet interim in faldistorio. Si Episcopus sit Cardinalis, et assistat Legatus, Episcopus Cardinalis habet æqualem sedem prope Legatum. Ubi sedere debeant Metropolitanus, Nuntius Apostolicus habens facultates Legati de latere, vel eas non habens, Visitor Apostolicus Episcopus, Vicarius Generalis, Protonotarii Apostolici, Magistratus, alique Proceres.

1. Sedes Episcopi vario modo collocatur pro diversitate altarium, apud quæ statui debet. Nam aut altare est in medio sub tribuna, pariete disjunctum, ita ut in spatio illo constitutus sit chorus, et tunc sedes Episcopalis e regione altaris parieti applicabitur, ita ut Episcopus, in ea